

Psalmus

CXIII

284

nerantur quod ipsi ex auro argentoque fecerunt. Sed enim et nos plerumque instrumenta et vasa ex butulce/modi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum sacramentorum: que ipso ministerio consecrata sancta dicuntur: in eius honore cui pro salute nostra in de seruitur. Et sunt profecto etiam ista instrumenta vel vasa: quid aliud quam opera manuum hominum? Verum tamen nunquid os habent et non loquuntur? Nunquid oculos habent et non vident? Nunquid eis supplicamus: quia pro ea supplicamus deo? Illa causa est maxima impietatis insana: quod plus valet in affectibus miserorum similis viuenti forma que sibi efficit supplicari: quam quod eam manifestum est non esse viuentem ut debeat a viuente contenti. Plus enim valet simulacra ad curuanda infelicem animam quam os habent: oculos habent: aures habent: nares habent: manus habent: pedes habent: quam ad corrigenda quod non loquuntur: non vident: non audiunt: non odorabunt: non conrectabunt: non ambulabunt. Itaque sequitur: ut illud quoque fiat quod etiam in hoc psalmo sequitur: **ut scilicet Similes illis fiant omnes qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis.** Videat ergo isti apertis et sentientibus oculis: et adorent clausis et mortuis membris: nec viuentia: nec viuentia simulacra: **Domus autem israel sperauit in domino.** Spes enim que videtur non est spes. Quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus: per patientiam expectamus. Sed ut patuerit usque in finem ipsa patientia: **Adiutor eorum et protector eorum est.** An fortasse spirituales a quibus carnales instruitur in spiritu mansuetudinis: quia ipsi tanquam superiores pro inferioribus supplicat: iam videtur: et illis iam res est que adhuc inferioribus spes est: Non est ita. Nam et **Domus aaron sperauit in domino.** Ergo ut etiam ipsi perseveranter extendatur in ea que ante sunt: et pleueranter currant donec apprehendant in quo apprehensi sunt: et cognoscant sicut et cogniti sunt: **Adiutor et protector eorum est.** **Et quis enim timet dominum et sperauerit in domino: adiutor eorum et protector eorum est.** Neque enim nos meritis nostris preuenimus misericordiam dei: Sed **Dominus memor fuit nostri: et benedixit nobis.** **Benedixit domus israel: benedixit domus aaron.** **Et quis autem benedicens: benedixit omnes timetes dominum.** Queris quos timetis? **Respondeo: Pusillus cum magnis.** Hoc est domus israel cum domo aaron: eos utique quod ex ipsa gente crediderunt in saluatorem iesum: quia non in omnibus illis beneplacuit deo: Sed si quidam illorum non crederunt: nunquid incredulitas illorum eundem dei euacuauit? Absit. Neque enim omnes qui sunt israel: hi sunt israelite: neque quia sunt semen abrahe: omnes filij: sed sicut scriptum est: **Reliquie salue facte sunt.** Ex persona enim eorum qui inde crediderunt dicitur: **Missi domus sabaoth reliquisset nobis semen: sicut domus facti essemus: et sicut gomora similes fuimus.** Sed ideo semen: quia sparsum pro terris multiplicatum est. Dixerunt enim magni de domo aaron: **Adiciat dominus super vos: super vos et super filios vestros.** Et ita factum est. Accesserunt enim tam de lapidibus suscitati filij abrahe. Accesserunt etiam que non erant de hoc ovili: ut fieret vnus grex

et vnus pastor. Accessit fides omnium gentium: et creuit numerus non solum sapientium antistitum: sed etiam obedientium populo: adiucente domino non solum super patres: qui ad illum in christo ceteros imitatores preiret: sed etiam super filios eorum: qui patrum pia vestigia sequerentur. Nam sicut ille bis quos per euangelium in christo genuerat: **Imitatores mei esto.** **1. Cor. 4.** **ee: sicut et ego christi.** Ad dicit itaque dominus: non solum super montes gestientes sicut arietes: sed etiam super colles gestientes sicut agni ouium. Proinde his utriusque magnis et pusillis: montibus et collibus: arietibus et agnis: dicit propheta quod sequitur: **Benedicti vos domino: qui fecit celum et terram.** **Et quis diceret: Benedicti vos domino qui vos fecit celum in magnis: terra in pusillis: sed celum non istud visibile plenum luminaribus ad hos oculos pertinentibus.** **Celum enim: celi domino: Qui erexit et sublimauit quorundam sanctorum mentes intantum: ut nulli hominum sed ipsi deo suo docibiles fierent: In cuius celi docibilibus comparatione: quicquid carnis oculis cernitur terra dicenda est: quam dedit filiis hominum: ut eius consideratione siue ab ea parte qua supillustrat: sicut est hoc quod dicitur celum: siue ab ea que subter illustratur: cui proprie terra nomen est: cum totum sicut commemorauimus in illius comparatione quod celi celi dicitur: terra sit. Terram ergo istam totam dedit filiis hominum: ut eius consideratione quantum possunt conueniant creatorem: quem infirmis adhuc cordibus sine isto coniecture adminiculo videre non possunt. Est et alius intellectus a quo dissimulare non debeo verborum istorum quibus dictum est: **Celum celi domino: Terram autem dedit filiis hominum:** Et ab eo quod dicitur: **et intellexim:** non recedat intentio. Dixeramus enim magnos et pusillos significari etiam eo quod adiectum est: **Benedicti vos domino qui fecit celum et terram.** Si ergo magnos celi: pusillos autem terre nomine accipimus: quoniam pusilli crescendo futuri sunt celum: et in ipsa spe lacte nutriuntur: sic sunt illi magni celum terre cum paruulos nutriunt: ut etiam celi celi se esse intelligant: dum cogitant in qua spe paruuli nutriantur: Sed tamen quia iam illi non ab hominibus neque per homines: sed per ipsum dei carpunt sinceritatem: ubi veritateque sapientie acceperunt: paruulos futuros quidem celi: ut celi celi se efficiant: adhuc tamen terram cui dicat: **Ego plantauit: apollo rigauit: sed deus incrementum dedit.** **Ipsis enim filiis hominum quos fecit celum: terra dedit in qua operentur: qui nouit terre providere per celum.** **Daneant igitur celum et terra in deo suo qui fecit ea: et uiuant ex eo: confidentes ei et laudantes eum.** Nam si ex se velint viuere morietur: sicut scriptum est: **Ad mortuum quasi quod non sit: perit confessio: Sed Ad mortuum quasi quod non sit: te dicit: neque omnes qui descendunt in infernum.** **Lamat enim alio loco tua scriptura: Peccator dum venerit in profundum malorum: preuenet.** **Sed nos qui viuimus benedicimus domino: ex hoc nunc et usque in seculum.****

Explicit Tractatus de ps. CXIII.
Incipit Tractatus de ps. CXIII.
Expositio psalmi.
Flexi: quoniam exaudiet dominus vocem meam
ff 4